

EPISTOLA

Genere Nominum hic repetemus, unde facile etiam de ceteris ut similibus judicare licebit. Quae in 1. & 2. Regula Generali desiderentur, breuiatis studio intacta jam relinquam. Tertia uero, quarta, sexta & septima prorsus falsa & nullae sunt.

TERTIA sic habet: Fructuum nomina pleraque Generis Neutri sunt: ut, pomum, pirum, prunum, cicer, papaver, piper, laser, siser. Hinc ita colligere debet puer: Fructuum nomina pleraque Generis Neutri sunt: Hoc vel illud est nomen fructus. Ergo est Generis Neutri. Sed an sub Particulari etiam certi aliquid subsumi vel inde concludi potest? Aut quae sunt illa pleraque ad hanc Regulam pertinentia? Hic nemo respondet interrogantibus. Ipsemet tamen rem paucis expediam. Sex nomina fructuum in *er* jam enumerata, ut, cicer, papaver, piper, laser, zingiber, item ador & quae in *UM* desinunt, Neutra sunt: reliqua autem omnia ferè innumerabilia, sunt vel Masculina vel Foeminina, quorum in mea Dissertatione sexaginta sex enumeravi, & multo plura è quovis Nomenclatore peti possunt. Qualis igitur est ea Regula Generalis, quae sex nomina sub se continet, (Nam in *UM* desinentia per se plana sunt) & à qua innumera alia excipienda sunt?

QUARTA Regula est haec: Quae viris ac mulieribus pariter conveniunt, Communis Generis sunt: ut, Hic & haec pincerna, incola, homicida, verna, indigena, Hic & haec homo, latro.

Hic